

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Habacvc Propheta**

**Habakuk**

**Argentorati, 1526**

**VD16 B 3952**

Splendor eius ueluti lumen, fulgores a manibus eius progrdiebantur, ibi  
clam uires eius latebant. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35974**

Cap. III M. LUTHERI IN HABACUC

Hoc est, huiusmodi opere efficiebat, ut undique terrarum, que sub caelo sunt, praedicaretur. Estque hic iterum Hebreæ obscuritas, que ita sonat, Laus eius cælum contigit, non superne, sed inferne. Nam Psalterium id quoque obtegit cælum uocat, quoniam nubibus obducitur. Est igitur etiam mens Habacuc. Adeo dense et fortiter laus Dei sub caelo undique intonabat, ut si nubes aut nebulae fuissent, cælum cooperiuissent, quod nos cælum inferiorem uersus partem, plenum dicimus. Et plane idem est, quod Moses ad Pharaonem ait Exodi. 9. Excitauit te, ut uires meas in te ostendam, ut nomen meum annuncietur in uniuersa terra. Iam et is Hebreæ linguae mos est, ut sic de caelo loquatur, ut multos cælos faciat. Nam cuique terræ suum cælum tribuit, id est, eam partem, quam quævis terra conficit, adeoque quod Mathematici Horizontem, ipsi cælum uocant. Vnde in dominica prectione dicimus, Qui es in cœlis, hoc est, in omnibus omnium terrarum cœlis seu horizontibus. Sic laus Dei in cœlis, qui supra ciuiusmodi regiones erant, sonabat. Et in quo cælo præconium eius erat, in ciuius cœliterra et gloria eius fulgebat.

III. Splendor eius ueluti lumen, fulgores a manibus eius progrediebantur, ibi clam uires eius latebant.

Inde manabat, quod cælum et terra laudis eius plena erant, Potentia enim eius, id est, regnum eius quidem

## ANNOTATIONES

quidem in populo Israel absconditum erat . Nemo enim uidebat eum . At dum huiusmodi miracula operaretur , opera illa ueluti lux erant , quæ præsentiam eius indicabant , & ex eo egrediebantur , cœu fulgores à sole nubibus obiecto , ac ueluti radij à manibus eius , id est , à fortitudine eius , quam exhibebat . Nam tametsi sub nubibus sol cœletur , attamen ex lumine eius obseruatur , ubinam sit . Sic splendores eiusmodi non à facie Domini procedebat , ipse quidem illic absconditus erat , cœterum à manibus eius , id est , ex operibus præsentia eius cognoscebatur . Eadem de re tum fama spargebatur , ac tanta uulgabantur , ut cœlum & terra gloria eius replerentur . Tales splendores , Hebræa lingua cornua nominant . Exodi 33 . Mose cornua habebat , id est , splendores , in uultu suo .

Procedebat enim pestis ,  
Et plaga a pedibus eius  
exibat .

Hic unus est splendorum , à manibus eius prodeuntium , quom cederet Aegyptum , ut una nocte , omnia penitus primogenita morerentur . Illud erat Paſſa & transitus Domini , eiusmodi uestigia , quo cunque transiſſet , imprimebat , illic pestis à pedibus eius egrediebatur .

I 5 Stans